BERNARDUS CLARAVALLENSIS. NICOLAUS CLARAVALLENSIS. OGLERIUS DE LOCEDIO
Heiligenkreuz (?), Wende 13./14. Jh. (?) Seite 79v
Quelle: http://manuscripta.at/?ID=30417
Copyright: Heiligenkreuz, Zisterzienserstift



desiderio concupiuit in uia. Nos ergo dilectissimi ab ipso ipsum solum pe
tamus et nichil aliud nisi ipsum solum ex omni corde queramus. et sic ad perci
piendum talem ac tantam hereditatem que ipse xpc est peruenimus.
Quod ipse xpc nobis largiri dignetur qui cum patre et spiritu sancto uiuit et
regnat deus per omnia secula seculorum amen. Sequitur.

In vigilia pent.

Si diligitis me mandata mea seruate. et ego rogabo patrem et
alium paraclytum dabit uobis spiritum ueritatis. quem mundus non potest
accipere. quia non uidit eum neque scit eum. Ex isto solo capitulo conuin
ci possumus utrum uere diligimus deum. Illum tunc in ueritate diligimus.
si eius mandata seruamus. et si eius non seruamus mandatum. certum est quod non di
ligimus eum. Non enim potest deus ex una parte diligi. altera parte contemp
ta. quia ipse dicit. Qui non est mecum contra me est. et qui non colligit mecum
dispergit. Iste ueraciter cum domino habitare nititur. qui pro suo posse
eius mandata seruare conatur. Frustra enim se cum domino habitare cre
dit. qui eius mandata seruare contempnit. Non uos fallat dilectissimi uestis
religiosa. nisi credite. non diligitis deum si illius non seruatis mandatum.
Quomodo possumus deum diligere habitu. si eum contempnimus actu. Di
lectio dei non querit uestem. sed nostram mentem. nec tantum requirit opinionem sed
et bonam actionem. Probatio dilectionis exhibitio est operis. Hoc est
etenim quod dominus dicit. Si diligitis me man. m. s. idest. si in ueritate me
diligitis. mandata mea seruabitis. Ad hoc ut perfecte uos cognos
cam me diligere. mandata seruate. et ego rogabo patrem. Hic enim
monet diligere et mandata seruare. ut accipiant spiritum sanctum. quem nisi
habeant non possunt diligere. nec mandata seruare. Unde sequitur. Ego ro
gabo patrem et alium paraclytum dabit uobis. Rogat homo. qui idem ipse
deus dat. Ipse pro nobis rogat. qui nobis rogata dat deus. Ipse pro nobis
rogat secundum quod homo. quando nos rogare facit se deum. Tunc